

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Ludwig Engel

**Formulae Loquendi Nonnullae, Ex Doctrina Logica, Praesertim Veterum, Derivandae, Observationibus Philologicis, Historicis, Philosophicis Illustratae**

## Pentas Altera

Rostochii: Rösen, 1756

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn822029022>

Band (Druck)

Freier



Zugang





*Ec. 1045 12.*



E.

AN



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn822029022/phys\\_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn822029022/phys_0004)

DFG

FORMVLAE LOQVENDI  
NONNULLAE,  
EX DOCTRINA LOGICA,  
PRAESERTIM VETERVM,  
DERIVANDAE,  
OBSERVATIONIBVS  
PHILOLOGICIS, HISTORICIS, PHILOSOPHICIS.  
ILLVSTRATAE

A

JOANNE LVDOVICO Engel,  
PHIL. RATION. PROF. DVC. PVBL. ORD.



PENTAS ALTERA.

---

ROSTOCHII, EX OFFICINA RÖSENIANA, C190CCLVI.

Ee. 10452 (6)

FORMULAE LOGICAE

NONNULLAE

EX DOCTRINA LOGICA

PRAESENTIM VETERVM

DE RIVANDAE

OBSEERVATIONIBVS

PHILOLOGICIS, HISTORICIS, PHILOSOPHICIS



JOVINE FADOCIO

PHIL. RATIONE PROB. DAG. BAR. ORG.



PRINTAS ALTERA

ROSTOCHII, EX OFFICINA JOSEPHINA, CINCICCIÆ.

1038



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rostdok/ppn822029022/phys\\_0006](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn822029022/phys_0006)

DFG



## Q. D. B. V.



### §. I.

abes hic, AMICE LECTOR, continuatam, si placet, illustrationem quarumdam loquendi formularum, quae suam scholis placitisque logicorum originem debent. Solam curiositatem uti antea non sum sectatus, ita nec nunc sectabor: quamvis nec fugiam omnem, quia non omnis taxanda curiositas, sed tantum ea, quae nimia est, minusque sana. Placere, quantum fieri potest, studio et iis, qui critico linguarum studio delectantur, et iis, qui vere ac sapienter judicant, primariam in omnibus rebus habendam esse rationem utilitatis. Hac igitur mente a formulis illis germanicis, quas prior

A 3.

tractatio

tractatio exhibet, ad eas jam accedendum, quae solent latine proferri. Cujus sunt generis: *Qui bene distinguit, bene docet, et, Purus purus logicus purus purus afnus.* Ab his pergemus ad ternas loquutiones, in utraque lingua, tum latina, tum germanica venientes, quamquam ita, ut interdum sermo hibridus mixtusque evadat. Quarum quidem prima est: *Deficit pars altera Petri, seu, altera pars Petri fehlet; secunda: Argumentum in barbara est, seu, das ist ein Argument in Barbara; tertia denique: Er ist ein animal disputax.* Non excusabo delectum, nisi ipsa excusat letio: nec enim has formulas ipse uno omnes ordine habeo; quin potius, quaenam circa illas observari possint, curo. Ceterum alias quasdam loquutiones, ad hujusmodi tractationem spectantes, haud palmaria quidem opera; obiter tamen, et quasi in transitu tangam. Fiat feliciter!

A. B. §. II. G.

Animus erat, primo hic loco edifferere, quid sit *cum ratione insanire*; at vero propter materiae ubertatem, quae integrae commentationi sufficiet, et formulam ipsam, et, quod suppeditat, argumentum lubens praetermitto. Referri huc quoque posset quaestiuula: *Quae, qualis, quanta?* quam ironice et false solent adhibere, qui sententiam aut dicta alterius taxant et rejiciunt. Logicos, praesertim veteres, his vocibus divisim, et pro triplici quaestione uti, quando species enunciationum pertractant, ipsorum testantur libelli. Verum, qui extra logicam obtinuit usus, nec admodum late patet, et parum habet acuminis: qualicumque enim constat adlusione, ut adeo insignis non sit. Porro viget distinctio quaedam inter *τὸ nominale*, et *reale*; interque praecepta stili solet adferri illud; *Elegantia verbalis cedat reali*; immo et in oratoria tum sacra, tum profana, multi multum crepant *realia*: quamquam, quae pro illis venditantur, maximam partem sint *realia sine rebus*. Quodsi jam quaeras originem occasionem-

ve

ve introductae hujus five vocis, five regulae, five distinctio-  
nis, ad Scholasticorum illorum aetatem recurrendum est,  
qua innumerae voces barbarae in latinam linguam fuerunt in-  
vectae, in quibus illorum sunt *realitates*. Praesertim tamen ad  
id temporis punctum respiciendum, quum de universalibus su-  
is, num mera nomina, an res sint, disceptarunt logici: unde  
proseminatae sunt dissentientes inter se familiae *Nominalium* at-  
que *Realium*. a) Certe omnis præsca & genuina latinitas *τὸν* reale,  
et realium nomen nescit.

## S. III.

De nota quoque illa distinctione, qua aliquid cum *in ge-*  
*nere*, tum *in specie* considerari, tractari dicitur, roges forte, num  
ex logica arcessenda sit. Si enim logicis imputanda, merito hi  
accuracyorum censuram incurront, tamquam in usu terminorum  
suum parum constantes, quum longe diversissima sit generis  
et speciei ratio, secundum definitiones suas, et dictæ distinctioni-  
onis sensum. Verum haec distinctione logicorum propria, et ab  
ipsis introducta non est: idemque JOACHIMO LANGIO, a partibus il-  
lorum minus alias stanti, observatum. Qui: b) *Loquitiones*, in-  
quit, *istæ communes in genere* (ins gemein oder überhaupt) *et in*  
*specie* (insonderheit) sumuntur grammaticæ, non logice: solet enim  
grammaticis illud speciem, hoc individuum notare. Recte ille qui-  
dem. Addendum tamen, saepius variari illorum terminorum  
significatum, ita ut *τὸν* *in genere* conceptus quoscumque indicet su-  
periores, et *τὸν* *in specie* conceptus quoscumque inferiores,  
nec præcise individua. Hinc etiam accedit, ut interdum consi-

A 3

deratio

(a) Comp. JAC. FRID. REIMMANNI hist. vocabulor. lingu. lat. p. 100;  
et ven. JO. GEORG. WALCHII hist. log. lib. II. cap. I, sect. 2 §.  
12.

(b) in medicina mentis p. 669.

deratio rei cuiusdam non modo generatim ac speciatim; sed et ratione specialissima instituatur. Atque sic exhibiti termini proprius ad significatum logicum accedunt. Sed hisce diutius non immorabimur.

## §. III.

Rectius veriusque ad logicam spectat tractanda nunc formula: *Qui bene distinguit, bene docet.* Logicae munus est de accurate distinctione praecipere: idque logici cum antiquiores curarunt, tum etiam recentiores curant recte. Tritum autem illud eo valet, ut commendetur praceptionis usus. Sensum si accuratius pervestigare lubet, notandum omnino est, inter distinctionem, divisionem, distributionem, atque partitionem certum aliquod discrimen statui. Quaeres jam, quodnam istud sit discrimen; sed paullo difficilior videtur responsio. Si enim plures consulas, rem, quam illi explicant, ita implicatam deprehendes, ut omnem hanc praeceptionem aut nullam judices, aut certe supervacaneam. Accedit, quod in adhibendis terminis deinceps ipsi variant, et promiscue eos usurpando pracepta deserunt sua. Sunt, qui distinctionem et divisionem eamdem esse putant: utramque igitur faciunt tum *nominalem*, qua vox ab aequivocatione liberetur, tum *realem*, quae differentiam rei exponat. Alii unam quidem eamdemque dicunt distinctionem et divisionem nominalem; ceterum tamen docent, per distinctionem realem genus in suas species; per realem vero divisionem totum quocumque aliud in partes suas describi. c) Ita qui statuunt, terminis *partitionis* atque *distributionis* facile carebunt. Qui tamen termini aliis placent, et adhibendi illis videntur, ubi dividenda res adest, seu, ubi sermo est de dividendo toto, proprie dicto. Veniunt autem et isti termini tamquam synonymici, ut, quam partitionem totius in suas partes dixeris, eamdem

(c) Vid. J. G. WALCHII lexic. philosoph. artic. *Distinction.* (d)

eamdem, cum PETRO RAMO aliisque, dicas distributionem integri in sua membra. Auctor artis cogitandi, generatim inter totum *integrale et universale* distinguens, circa prius partitionem; circa posterius divisionem valere statuit: hos enim ille terminos elegit. Mitto divortia plura, et potius, quaenam vera sit dictarum vocum differentia, quis debitus usus, anquiram.

## §. V.

Nimirum *distinctio* locum non habet, nisi circa verba terminosque, ut ea nihil sit aliud, quam significatio diversorum alicujus vocis significatum. Simul autem procul hic facienda est, quae minus accurate dicitur, divisio nominis. Nomen enim *divisionis* adhibendum, ubi agitur de rebus, quae stricte proprieque loquendo dividi possunt. Quae tamen divisio duas quasi species sub se complectitur, quarum altera *partitio* est, altera *distributio*. Quum enim dividendum est totum mathematicum, divisio haec, quae in veras partes fit, propter has partes recte audit *partitio*. Quoties vero totum habes philosophicum, aut si mavis, logicum, hoc est, quum dividenda sunt genera speciesque, toties divisio illa quam optime *distributio* vocabitur. Itaque (si fas est mnemonicos interfondere versiculos)

Distinguas voces; res vero divide semper:

Distribuas *{genus}* *{speciem}*; in partes dispescito totum;

Quamquam non servant istud discrimen ubique.

Nec facile speranda est hac in re conciliatio. Jamque etiam minus diffidendum, actum mentis, quo haec dicitur distinguere, non tantum circa voces, earumque significatus; sed quoque circa res ipsas se exferere. Nam distinguere generatim dicimur, quando nobis aliud ab alio diversum mente sistimus. Ipsa igitur vox distinctionis duplē admittit significatum, latiorem alterum, alterum strictiorem. De strictiori diximus ante, qui et omnino praferendus est. Latior ille obtinet in excitato trito: *Qui bene*

*bene distinguunt, id est, qui et diversam vocum significationem, et  
iphas rerum differentias divisionesque diligentior inquirit, ille be-  
ne docet.*

## §. VI.

Juvat autem perquisivisse adhuc, penitusque nosse, quid sit  
distinguere, et, quod jungendum nunc est, dividere *bene*. Be-  
ne distinguit, qui vocis valorem usumque accurate dispicit; divi-  
dit bene, qui ipsam rei naturam atque definitionem d) sequitur.  
Vera itaque tum vocum, tum rerum cognitio artem hanc perdo-  
cebit omnem: atque simul procul facta erit anxia quaevis adfecta-  
tio. Omne autem tulerit punctum, qui inter duo ex-  
trema medio se loco continere scier, ut, quemadmodum sine  
ordine et confusa non procedit, ita quoque, quod in dividendo  
nimium est, caveat. Profecto, qui ita rem tractant, ut ubique  
quasi tabellari methodo utantur, paucioribus consulunt ingenis:  
nam, dicente SENECA: *comprehendere quemadmodum maxima, ita  
minima, difficile est.* Idem confusione, cui occurtere student,  
vel maxime locum faciunt, eamque quasi cum pompa introdu-  
cunt: recteque iterum SENECA: *Idem, inquit, vitii habet nimia, quod  
nulla divisio. Simile confuso est, quidquid usque in pulvrem sectum  
est.* e) Quare vitanda est omnis minuta ratio, nec videndum,  
quid fieri poscit; sed quid debeat, ut bene distinguendo doceas  
bene. Aliud omnino est distinguere sibi; aliud distinguere aliis.  
Distinguis tibi, si rem omnem accurate, et, quam fieri potest,  
distinctissime perspicias; distingues aliis ita, ut non singula mem-  
bra, facta in dividendo progressu, distincte adferas: artis enim  
est celare artem. Pluribus hanc de divisione doctrinam regulis  
ample-

(d) Valebit ergo et regula: Qui bene definit, bene distinguer  
Certe definitio et divisio mutuas sibi invicem praestant ope-  
ras. Vid. JOACH. JUNGII log. hamb. p. 312.

(e) Epist. LXXXIX, ubi et plura, quae huc faciunt.

amplectuntur logici, quibus et debitum statuo pretium, nee unquam posthabendas eas censeo. Siquid tamen recte judico, ita tantum formarae illae sunt, ut vitiosam divisionem cavere sci- as; non valent ad rem ipsam perdocendam perdiscendamque. Sed nec pluribus hic opus est, quam iterum iterumque monu- isse, ut rem, quam dividere velis, cognoscere atque perspicere studeas, tumque oppositum justae divisionis, ut in defectu, ita in excessu evites. Haec summa dictorum, haec summa dicen- dorum est.

## §. VII.

Qui autem ita distinguit, is certe respectu modove non uno bene distinguit, quoniam simul obtinet, ut bene doceat: id quod probatu facillimum erit. Ope enim accuratae distin<sup>tio</sup>nis, sive per debitam diversi significatus evolutionem, tollitur ambiguitas sermonis, sensus determinatur, perspicuitati consulitur, occurritur logomachiis, veritas obtinetur, praecaventur erro- res. Ecuid magis ad obtainendum, quem intendere par est, finem sermonis accommodatum est? Qui autem accommodat, hoc est, qui, remotis veri sensus impedimentis, magnum aliis adjumentum adfert, ut capere singula, ut recte interpretari, ut in usus convertere suos possint, isne in docendo palmam pluri- bus praeripiet? Ad divisionem vero quod attinet, ea sane medi- um est rem omnem ita rimandi, tractandi, exauriendi, ut pla- ne ob oculos ponatur, et perspiciatur plene. Quemadmodum enim domum aliquam non prorsus cognoscimus, nisi totam illam transeundo, singulasque ejus partes et camaras accurate lustran- do, ac seorsum considerando: ita tum demum res significata, declarata, intellecta satis erit, si per partes suas, et species de- scripta nobis fuerit atque exhibita. In neutris unicus et genera- lis obtutus sufficit. Si itaque vis bene docere, bene distinguas, oportet; si bene distinxeris, bene docebis. Explicatum jam est, quomodo hoc praestent philosophi.

## B

## §. VIII

§. VIII.

Minus autem hoc loco alienum est exponere, qua ratione idem carent oratores, et qui stili amant nitiditatem. Philosopherum in dividendo vestigia legere omnes quidem decet; neque tamen oratoribus virtus dandum, si paulo plus sibi indulgent. Ita certe, quum per regulam quamdam divisionis logicam membrorum dividentium ea debeat esse repugnantia, ut alterum altero neutquam contineatur: his tamen interdum sufficit, si voces aut membra diverso significandi modo, vique et efficacia singulari differant. Ceterum et quodam modo convenient, licet. Sic e. c. in his *Plinianis*: *f) Quid homini potest dari majus, quam gloria, et laus, et aeternitas?* in his, inquam, verbis distributione quadam oratoria latet, dummodo evolvatur. Evolvamus igitur. Certe evidens illa reddetur, verba si ita fluant: Homini quid dari potest majus, quam gloria, quae praecellare factis meritisque pretium facit; deinde laus, quum quis omnium ore celebratur; et denique aeternitas, sive fama etiam post fata superstes. Duo tamen hic monenda. Primum enim cavendum omnino est, ne sint membra nimium cognata, vocesque ad synonymiam tantum non perfecte tales accendant: neque enim accusatio logica justo licensius deserenda est. Deinde et membra, quae alias minus dissidere videntur, statim declaranda sunt, et addendum aliquid, ex quo constet, cum aliis vocibus alium conceptum esse jungendum, ut per id ipsum limites, quibus se invicem excludant, constituantur. Quod etiam exemplum, modo adlatum, declarat.

§. VIII.

In colendo autem et perpoliendo stilo illi quoque circa divisionem spectant aliquid, quod faciant bene, qui praeter rem ipsam simul curant expressionem. Oratoriae enim, id est, elegantius insinuandae divisioni maxime convenit, ut non nucē enun-

(f) C. PLINII epist. lib. III ep. 21.

merentur partes, seu membra; sed modo paullo exquisitior, nitidaque connectendi ratione proferantur. Sic CICERO, quum logica simplicitate dicere potuisset, fidem conciliari per justitiam et prudentiam, sequentem in modum differit: *Fides autem ut habetur, duabus rebus effici potest, si existimabimus adepti conjunctam cum justitia prudentiam.* g) Elegans est itidem, si cum ambitu quodam membra recenseantur, veluti cum quadam synonymia. Quemadmodum auctor modo laudatus ita: *Duplex est omnino iocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitosum, obscenum; alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum* h) Ambitum et quaerunt per additam explicationem, uti rursum ille latini sermonis stator summus in his: *Duplex est vis animorum atque naturae: una pars in appetitu posita est, quae est ἐρηνὴ graece, quae hominem hic et illuc rapit; altera est in ratione, quae docet et explanat, quid faciendum fugiendum sit.* i) Denique ambitus accedit, adlata definitione aut descriptione quadam. Sic idem CICERO, duplex genus iniquitiae, positivum alterum, alterum privativum commemoraturus, rem ita eloquitur: *Sed iniquitiae duo genera sunt: unum eorum, qui inferunt; alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, si possint, non propulsant injuriam.* k) Verum, ne quid diffitear, monitis his, praesertim in stilo philosophico, seu didacticō, ita utendum, ne quid vel adfectate dicamus, vel obscure. Nam satius omnino est, rem, simplici licet, perspicua tamen ratione enarrare, quam splendida eam velare obscuritate. Dictum est de formula prima: Qui bene distinguit.

## B 2

## §. X.

(g) Delibamus per totum hunc § exempla ex libro tractationi juris naturae, et elegantiori Latinitati aequa accommodato, ut magis adpareat, stilo philosophico has aliasque linguae elegantias minus repugnare. Vid, ergo CICERO de officiis lib. II. c. 9.

(h) Idem l. c. lib. I. c. 29.

(i) Idem l. c. lib. I. c. 28.

(k) Idem l. c. lib. I. c. 7. Comp. J. G. HEINECCII fundam. stili part. l. cap. III. §. 5.

## §. X.

Horridum incultum et asperum est dictum, ad quod illu-  
strandum, quantum satis est, nunc accingimur, hoc scilicet: *Pu-  
rus putus logicus purus putus asinus.* Ortum illud est, quum, de-  
fluente barbaro doctorum scholasticorum aevo, studia litterarum  
renascerentur, et scientiae, hinc et logica, feliciter reformari  
coepissent. Elegantius hoc restitutionis tempus nominamus?  
Mirum id sane videbitur cuiquam, qui persvasum habet, doctri-  
nam artiumque fidele studium emollire mores, nec sinere feros  
esse. Verum est ita. I) Alia enim barbaries integritati mentis,  
et litterarum studiis infesta est; alia adfectus hominum mores-  
que adficit: pulsaque licet atque cessante illa, haec tamen inter-  
dum durat, et rusticitas quaedam vel summis excellentissimisque  
haeret ingenii. Olim et erat sic, barbarusque in primis saecu-  
li genius diu admodum regnabat. Quanta duriorum, et ab hu-  
manitate viri docti abhorrentium copia loquutionum foret, si col-  
ligeres, et collectio conduceret. Neque ignorant erudit, quid  
in ipsis suis titulis scripta nonnulla, istis temporibus et subsequen-  
tibus etiam foras data, prae se ferant. Cujus quidem sunt gene-  
ris: Wer hat das Kalb ins Auge geschlagen? Hüte dich, der Bock  
stößt dich! Die lutherische Strebefäse; Bileams und seines Esels  
Gespräch, alia. m) En metaphoras, allegorias, adlusiones, a  
bruris animantibus petitas! Desinesque mirari, similem metapho-  
ram in dicterio, in logicos dicto, ab asino ductam esse.

## §. XI.

Occasionem faciendi convicia dederunt partim doctores illi  
scholastici, horumque sectatores, fex orbis litterati, partim con-

ditio

(I) Vide sis MART. Schmeizels Historie der Gelchrheit p. 520.

(m) Libellos hos hoc loco pluribus recensere nil attinet, neque  
ad manus jam sunt. Durius interdum differens vir heroi-  
carum virtutum, LUTHERUS, et ipse nomen asini usurpat;  
sed hoc quoque lubet jam transire.

ditio logices scholasticae: quorum illi puri puti logici; haec autem pura pura *ἀλογία* erat. Constat enim, verum logicae finem usumque tantum non ab illis omnibus spretum atque neglectum fuisse, ita ut non vitae disserent, sed scholae. Scholae dico? immo ne scholae quidem, quum ad ceterarum usum scientiarum doctrinam logicam aut nunquam, aut male referrent. In logica rimanda, addiscenda sua, eaque non excolenda, sed deformanda toti fuerunt, reliqua studia philosophico superciliosus contemnentes, quum nec per inutilia vacaret ista adtingere. n) Si qui unquam in orbe eruditorum, certe scholastici illi cum ratione insaniverunt. Quaenam igitur ipsius logicae facies? terra, squalida, tristis, nec ulla facies deformitatis aut turpitudinis defuit. Ars cogitandi, sed perverse, non medicina mentis, sed toxicum, non pharus intellectus, sed caliginis sedes, via non ad veritatem, sed errores, non philosophia rationalis, sed tota irrationalis logica erat. Haec nugis ac ineptiis, haec logomachiis, haec vagis frivolisque quaestionibus, haec inanibus et terminis, et propositionibus, et syllogismis referta. o) Finis omnis erat, electa subtili ac sophistica argutandi ratione, alios irretire, et, quamvis

B 3

con-

(n) Quām plurimos ea aetate, etiam eos, qui praestantisimi haberentur, in solis studiis et disputationibus dialecticis consenuisse, auctoritate et verbis JO. PARVI, seu SARISBERIENSIS, enarrat cel. JAC. BRUCKERUS in hist crit, phil. tom. III p. 633 seq. it. p. 892. Legatur et ERASMUS ROT. epist. lib. II. p. 84 edit. bas. 1529.

(o) Specialiora qui desiderat, conferat LUD. VIVEM de causis corruptar. artium lib. III. tot. BARTH. KECKERMANNI praeconiata logices tract. II. cap. 2. §. 40, J. F. REIMMANNI hist. litt. tom. II. p. 158 seq., J. G. WALCHII hist. log. lib. II. cap. 1. sect. 2. §. II. Accuratam vero et plenariam vel logicae, vel alias partis philosophiae scholasticorum delineationem qui exhiberet, nemmo adhuc fuit. Quare non? Laborem non pensat usus: ille nimius, nec facile superandus; hic admodum exiguis erit. Lateant et, quae non male latent, sententiae partim impiae.

contradicente veritate, vincere tamen. p) Quid mirum, gravorem rectius philosophari incipientium censuram incurrisse logicos scholasticos?

## S. XII.

Fortasse hi ipsi nomen, quo adpellarentur, suppeditarunt; quippe quibus, aliorum laudi et dignitati obrrectaturis, non insuetum fuit, asinos hos dicere. q) Sed et nota erant dudum plura, quae vocantur, adagia, ab asinis eorumque indole ac sorte desumpta, et in linguas tum Graecorum, tum Romanorum derivata, ad notandum hominem flocci. Dicitur e. c. *Asinus mysteria portans*; *Asinus ad lyram*; *Asinus auriculas movens*. Quorum primum competit in eos, qui indigni muneribus rebusque gravioribus praeponuntur; alterum in homines imperitos, ac ineptos ad bene judicandum, aut tractandum aliquid; tertium in eos, qui se intelligere simulant, quod minus intelligunt. Alia ejus generis sunt: *Asinus aegyptius*; *Asinus apud Cumanos*; *Asinus balnearius*. Quorum illud dicitur in hominem odiosum, despiciendum et rejectione dignum; istud in eum, qui in existimatione est, donec ejus adparuerint ineptiae; hoc in eum, qui laborum et vigiliarum suarum fructum capit nullum. Sic et dictum est: *Asinus in unguento*, si v. c. homo rudis et indoctus in optimos incidat auctores, quos ille parum curet, vel etiam depravet. r) Quae qui-

(p) Lepidam hujusmodi disputationem sophistae cuiusdam parisensis exhibet laudatus VIVES l. c. p. 128.

(q) Testantur id epistolae obscurorum virorum, non ad imitationem qualemcumque; sed secundum ipsum scholasticorum genium gustumque conscriptae. Hic e. c. in quadam epistola Magi Wilh. Lampi, de controversia quadam poetica, spretaque auctoritate Alexandri, (et quanti viri!) referentis, sequentia leguntur: Tunc ille adhuc magis derisit me, et dixit. Vade tu Colo. Copula ista cum tuo Alexan, qui fuit *asinus Parrhisenis sicut adhuc sunt plures*. Et sic multum scandalizans illum bonum Alexan. abivit. p. m. 368.

(r) Sensum singularium loquutionum addidimus, ut fiat adplicatio. Origo jam nihil ad nos. Adeas, si velis, ERASMI et aliorum adagia uno volumine collecta.

dem omnia, si cui libeat, nullo negotio ad doctores illos scholasticos, eorumque dignitatem, doctrinam, studia, mores accommodantur. s) Peculiari tamen adhuc ratione ac pondere in his, suosque sectatores, additum illud: *Purus putus logicus purus putus asinus.* Nam uti asini est vecors esse animal: ita et logici scholastici animalia erant rationalia, scilicet! Atque ut asinus rudit, vagumque tollit clamorem: ita et horum hominum umbraticorum mirus fuit quasi ruditus, sive insignis ruditas cum omnis orationis, tum technologiae logicae, ac disputationis suae. t) Hic sensus formulae et interpretatio.

## S. XIII.

Mens tamen, quam lingua, olim ita pronunciantium senior, rectior, melior fuit. Evidem non dixerim, citra omnem contumeliam hancce metaphoram, et comparationem cum asino institutam fuisse: id quod fieri alias potest. u) Sed certe viri cor-

(s) Dialectica studia suffecisse, ut homines nullorum alias meritorum et inclarescerent, et ad summos honores, lautissimaque in ecclesia promoverentur munera, legendum est apud laud. BRUCKERUM in hist. crit. phil. tom. III p. 677. et 727. Habes asinos mysteria portantes. Reliqua applicanda permitto.

(t) Non possum, quin pauca adteram, a LUD. VIVE l. c. p. 116, de sectatoribus scholasticorum commemorata. Nuperrimi dialectici inquit, non contenti corruptela significationum, quam a majoribus acceperant, quandoquidem illa iam vulgata et protrita videbatur, ipsi novam penitus linguam invexerunt: Cujuslibet hominis quilibet asinus, et asinus praeter ab asinus, et asinus possibiliter non sunt, alter alius homo non est ipsemet cuiuslibet alterius hominis alius asinus est ens. Quis haec illa in lingua intelligat? Quaeso, Lector, nonne hoc est cum asino suo rude re? Quod alias lepide dixit MELANCHTHON de APULEJO, turrido auctore asini aurei.

(u) Certe, quum patriarcha, JACOBUS, in ultimo vaticinio, *Isa sebar*, filium suum, asinum adpeliat osseum, turpitudinis notam generi ac nomini ejus inurere noluit. Vid. Gen. XXXIX

datiores scholasticos illos, horumque sectatores, ita tantum notarunt, ut a legendis eorum vestigiis alios deterrenterent. Hos monitos volvere, ut et logicae sobriae darent operam, et reliqua studia adderent, rati, propter haec illam addisci, et finem ejus tumdemum obtineri, si emendatus intellectus ad omnia alia perget. Itaque sapiens gravisque sententia latet sub dicto, simulque adaptaret, logicam non contemni. x) Quis enim, si sapiat, hanc spernat, sine cuius praesidiis nemo neque in quoquam ceterarum scientiarum genere rite profecerit, neque in ipsa vita communi judicaverit recte. y) Sed satis hic disseruisse videor mihi, si adhuc quaesivero, num etiam hodie locus sit saepius dicto dictorio: *Purus putus logicus.* Atque optandum quidem esset, ut ex hodiernis systematibus, saltim compendiis logicis, varia adhuc rescinderentur, ignoratu, quam scitu, aequa digna, et certe ad emendandum intellectum nihil facientia. De cetero tamen ea est nostra felicitas, ut omnino repurgatum sit, quod hic aderat, Augiae stabulum, immo et ita immutatum, ut jam bruta animantia frustra hic quaeras.

## XIII.

y. 14. Ut plurimum tamen asini appellatio humile quid dicit, infertque contemptum. Quare mireris omnino, qui postuerit lascivius Apuleji asinus PHIL. BEROALDO tanto in honore esse, ut, quium ejus cura Venetiis 1510, nitide licet, prodiret, illum dedicaret Archiepiscopo. En vero sanctam quoque simplicitatem HOSTIENSIS in symbolo, quod suis tribuit canonistis. Comparat canonistam mulo, qui partem capiat ab equo, id est, theologo, partem ab asino, id est, legista. Recito verba, quae in Differentiis jur. civ. et can. JO. SCHILTERI instit. jur. can. annexis, §. VII p. 429 leguntur.

(x) Graviter sic etiam adplicat Gottlieb Stolle, ita differens; Deshalb aber muß man bey der Logik allein nicht siehen bleiben, wie Panthoedes, Euxenus, Eubulides, Brison, Dionysiodorus, und Euthydemus. Das purus putus logicus cet. ist bekand. Vor diesem, da es mit der Philosophie auss Disputationen ankam, hieß der schon ein Philosophus, der ein guter Dialecticus war. Ein bloßer Logicus aber ist mehr nicht, als der Anfang eines Philosophi. Vid. ej. Historie der Gelahrtheit p. 444.

(y) Comp. JO. FRANC. BUDDEN Isagoge historico-theol. p. 240 et G. STOLLIUS I. c.

memorandum, membrorum anno §. XIII.

Tertia, hoc adferenda loco, et quodammodo illustranda formula ita habet: *Deficit pars altera Petri*, seu Germanorum modo, *Altera pars Petri* fehlet. Sat frequens ea est in ore eruditorum, et in sensu vel maxime convenit cum quaestiuncula illa: Ubi judicium? Originem ejus si vis scire, cogitanda est antiqua logica ramea, ejusque partitio: haec concinnandi occasionem dedit. PETRUS enim RAMUS, celebris novator in philosophia, praesertim rationali, novam artem ratiocinandi tradidit, quas fecit partes? duas quidem, alteram de *inventione*, alteram de *judicio*. Illa est, quae docet argumenta invenire; haec, quae inventa docet disponere, ut prodeat partim axioma, sive enunciatio, partim dianoea, et per hanc tum syllogismus, tum methodus. z) Alio nomine, reique magis accommodato, pars haec dicitur *dispositio*; sed nobis sufficit, quod eam de *judicio* inscripserit RAMUS. Hinc enim singularis illa metonymia, sive metalepsis, qua *altera pars Petri* pro *judicio*, et *judicium* hoc non pro termino artis, uti in logica illa, sed pro ipsa facultate judicandi sumitur. Proximam recipienda formulae occasionem num quidam adversarius RAMI, de ipsius logica sententiam acute sic dicens: *Petro ipsa sua pars altera deest*; an amicus, *alteram Petri partem* multum suspiciens, dederit, haud dijudicaverim. aa) Cup autem Petri, non Rami pars dicatur, quaeris? quia pri scis temporibus mos invaluerat, doctorum virorum praenomen pro cognomine adpellitandi. De usu loquutionis aliquid addere vix opus est. Primum enim, quem observamus simpliciorem et stupidiorem esse, illi *alteram partem Petri* inesse, lepide negamus. bb) Deinde quoque dicta, scripta, facta alterius, quibus

C

hic,

(z) Videsis ipsius RAMI institutiones dialecticas, anno 1543 editas, aut cel. WALCHII hist. log. lib. II cap. I. sect. 3. §. 5.

(aa) Traditione haec constant, partim et conjectura quorumdam Testem, quem hic laudem, nullum invenire licuit.

(bb) Prorsus ac per aliam allusionem ejusmodi homo dicitur vir beatae memoriae, exspectans judicium.

hic, aut se judicandi facultate minus praeditum, aut facultatem eam ab se multum neglectam esse, prodit, formula ista notatur: Es fehlet altera pars Petri.

## §. XV.

Contigit autem PETRO RAMO, quod olim in nuncupando novo orbe *Americo Vespucio*, cuius de nomine dicta est America, non de nomine *Christophori Columbi*, illam terrarum partem primum detegentis. Num enim logices hic reformator primus fuit, qui eam in *inventionem et judicium* dispesceret? minime. Quin potius is ipse, quem sibi novitas objecta esset, tamquam crimen, evincere studuit, partitionem suam antiquissimam esse, hoc est, non modo maxime naturalem; sed et ab aliis dudum probatam. cc) Quaeres jam, cui omnium primo tribuenda sit. Lepidum omnino est, quod MOSEN laudavit RAMUS, partes suas geminas dicens *notas mosaici λογείς, Urim et Thummim*, et deinceps confidentior inferens, *partitionem hanc a Mose auguste demonstratam esse*. dd) Alii hic nominant, quem ille praeterit, PLATONEM, qui primus inter Graecos, ut CICERO inter Latinos, logices in dictas partes dividendae auctor existiterit. ee) Recte omislus est PLATO: hunc enim sic partitum esse, nulla auctoritate, nec adducendo testimonio satis confirmabitur. ff) ARISTOTELEM sibi conciliare tentat RAMUS; sed frustra, ut opinor. De CICERONE verum est, eum initio topicorum suorum adseruisse,

omnem

(cc) Vid. ejus scholae dialecticae lib. II cap. 8 tot.

(dd) loc. cit. partim circa initium capit. partim sub finem.

(ee) Vid. M. Schmeigels Historie der Gelehrheit p. 512. not. 9, et CHRISTOPH. SCHEIBLERI introd. log. p. 446.

(ff) Nihil plane de ejusmodi partitione platonica habent neque APULEJUS in libris de dogmate Platonis, neque ALCINOUS in delineatione doctrinae Platonis. Quare etiam hic dialecticam philosophi sui doctrinam logices aristotelicae methodo accommodavit. Conf. &amp; duumviri accuratisimi, WALCHIUS in hist. log. lib. II. cap. I. sect. I. §. 2, et BRUCKERUS in hist. crit. phil. tom. I. p. 671 sqq.

*omnem diligentem differendi rationem duas habere partes, unam inve-  
niendi, alteram judicandi.* Sed quid CICERO inter logicos, cuius  
topica prorsus ad usum eloquentiae comparata sunt? Nec logi-  
cam ille vel scriptit, vel scribendam dispositur. Ceterum quidem  
QUINTILIANUS, de dialecticis loquens, haec habet: - *ut qui sibi  
et inventandi, et judicandi vindicant partes, quarum alteram inventam,  
alteram reipublicam vocant.* gg) Verumtamen, si recte interpreteris,  
nec ille dixit, his partibus dialepticam constare, his eam absolu-  
vi. Adhuc igitur RAMO sua partitio vindicata est, nec nisi ex  
ejus scholis repetimus formulam nostram.

§. XVI.

Verum enim vero nuncupandus restat vir insignis, RUDOL-  
PHUS AGRICOLA, Germanus, qui certe in pluribus, praesertim ve-  
ro in logicis viam RAMO praevit. Quam etiam laudem illi ipse  
RAMUS tribuit, differris verbis testatus: hh) Rudolphum primum  
omnium, post beata Graeciae Italiaeque tempora, eximium illum logicae  
facultatis usum revocavisse. - Hosque dialecticos, tam insignes, tam  
que amabiles fructus Joannem Sturmum, ex Agricolae schola, Lutetianam  
Paristorum attulisse. - Seque (Ramum puta) cum tanto doctore logi-  
cam istam ubertatem primum degustasse. Hic autem AGRICOLA, ut  
erat natus factusque ad pessimumdandum ingenia studiaque schola-  
sticorum, ita praesertim philosophiam rationalem dignitati suae  
restituere instituit. Atque deserens ille vestigia Aristotelis, logi-  
cae dichotomiam intulit, censuitque, alteram partem de *inventio-*  
*ne dialectica*; alteram de *dialecticis iudicio* inscribendam. ii) Quam  
etiam

C 2

(gg) Institut. oratori. lib. V cap. 14 circa finem,

(hh) in praefat. ad scholas grammaticas.

(ii) Haud omnino dialecticam a rhetorica se junxit; sed praecipua  
ratione usum illius eloquentiae accommodavit AGRICOLA. Hinc  
factum esse iudico, ut, quam partitionem CICERO et QUINTI-  
LIANUS, locis supra citatis, commendarunt, eam in pertractan-  
da dialectica probaret atque eligeret. Comp. KECKERMANNI  
praeogn. log. tr. II c. 2. §. 42. Satis et laudis meruit ille, quod  
inveniendi et disponendi partes, quibus superbit ludique rhe-  
torica, logicae vindicavit.

ejus tractandi rationem deinceps probavit retinuitque RAMUS  
 kk) Quodsi ergo ad hoc respiciatur, in formula, quam illustramus, altera pars Rudolphi potius, quam Petri, adpellanda videatur. Verum, ne simus in Ramum injurii, jam omnis res edislerenda est. Nempe Rudolphus ille Agricola, sola, quam de inventione fecerat, parte absoluta, ll) morte praeventus, intactam reliquit alteram de judicio. Ad quam quum postea adgressus RAMUS eslet, susceptaque simul prioris partis nova et sua ipsius elaboratione, eam cum orbe eruditorum communicaret, factum est inde, ut de altera parte Petri diceretur. Quapropter nec applicuerim huc illud: Hos ego versiculos feci, tulit alter homines.

## §. XVII.

Progrediendum jam ad formulam eam, qua dicitur argumentum in barbara esse, seu, Es ist ein Argument in Barbara. Hac per lusum minus insulsum utuntur, qui argumentationem alterius nunc ut futilem ineptamque, nunc ut duram atque ingrata, nunc tamquam rusticam et inhumanam notatam volunt. Ad perspiciendum vero penitus sensum opus est, ut, qua ambiguitate vox Barbara ludat, teneamus, ab ejusque usu, qui in logicis est, significatum distinguamus grammaticum. Vocem eam logicorum technicam et mnemonicam esse, cui id genus aliae sociatae sint, ad significandum species modosque syllogismorum, nemo est, quin sciat. Atque nisi si gravius peccassent scholastici, quam dum terminos istos logica civitate donarunt, minorem sane censuram incurrent, siquidem et recentiores specimen aliquod artis characteristicae in illis deprehenderunt.

mm) Cogitemus jam, quem argumentandi modum, in qua figura

kk) Qui tamen et alia nonnulla debet Agricolae, Conf. DAN. GEORG. MORHOFII polyhist. tom. II lib. I. cap. 12 §. I.

ll) Noti sunt ejus de inventione libri III, nec laude nostra indigent.

mm) Videbis cel. J. P. REUSCHII syst. log. p. 235 seq. Interim nec ille lepide cel. CHR. AUG. HEUMANNUS in praef. Ad. Tribbeebovi libro de doct. scholast. praemissa ait: Negre vera erat logica, quam illi

gura, vox *Barbara* designet: Quod itidem notum est. In sensu itaque logico si dicatur *argumentum in barbara esse*, tantum abest, ut illud taxetur, aut ludibrio exponatur, ut potius maximus ei attribuatur valor. Simil etiam adparer, sensum hunc ad illam quam innuimus, formulam haudquaquam convenire. At vallet antiphrasis, quam rhetores vocant, et partim ad notationem logicam, nn) partim ad ironiam suam referunt, qua contrarium ejus, quod dicitur, intelligendum. Ut itaque bellum dictum est bellum, quasi minime bellum: ita argumentum dicitur in *barbara*, quasi minime in *barbara*, hoc est, oprimi illo argumentandi modo confectum; sed futile et absurdum. Quaeram etiam, nonne quae maxime stringunt argumenta, ea interdum soleant maxime invisa alteri et inaccepta esse. Ejusmodi ergo argumentum grave et firmum, sed ingratum, itidem in *barbara* erit. At istud quidem non satis intelligetur, nisi simul ad grammaticum vocis significatum adtendas.

## §. XVIII.

Duplex autem occurrit significatus grammaticus voxque venit nunc pro nomine proprio, feminabus imponi solito, nunc pro communi. Dices, nihil huc facere significatum priorem. Commemorabo tamen facetum quemdam lusum, cui vox ansam dedit isthac modo accepta, et simul cum aceptione logica scite confusa. Nonnemo consciens novam logicam, studio novitatis, primum primae figurae modum, *Barbara*, eliminaverat. Qui quum postea Gothae vitiasset virginem, cui *Barbarae* nomen erat: re ad Principem delata, Barbaram hanc ducere uxorem justus est. Tum nescio quis, facta ad singulos primae figurae modos eleganti adlusione, lepidissimos rythmos cecinit:

C 3 No.

illi (Scholastici) eccolebant, sed dialectica mere *barbara*; nec sine nomine factum est, ut primae syllogismorum figurae primo modo ipsi illi pseudo-philosophi inderent nomen *Barbarae*.

(nn) C. DIETERICI inst, rhetor. p. m. 17 seq.

Novam qui scriptis logicam,  
 Figuram negat unicam,  
 Gothanam nempe Barbaram.  
 Quam velle, ut celarent nunc.  
 Quam concupivit dari tunc!  
 Hanc tu figuram ducito,  
 Dicit Princeps, aut ferio! (oo)

Animi caussa sententiam serenissimi Judicis, per modum argumenti, concipias, subintellectis quidem determinationibus, ex caussae cognitione petendis. Hoc erit: Quic. huic Barbarae virtutum adulit, ille per legitimum matrimonium eidem satisfacito; atqui tu homo cet. E. Jam vero hoc pro ducenda Barbara argumentum quale judicas esse? Certe in *barbara* fuit, hoc est, stringens obligansque, quod iste homo, quamvis singulariter theoricus, nullo modo infringere poterat, ac enervare. Fuit vero etiam in *barbara*, tamquam inamoenum, invisum, atque horridum, quod ille, ut erat singulariter practicus, si licuisset, cum omni *Barbara*, tum femina gothana, tum voce logica, lubentissimus repudiasset. Hinc gratulandi ansam materiamque nactus facetus poëta. Dantur ejusmodi argumenta in re simili plura.

## §. XVIII.

Sed querendum omnino est, quid denotet vocabulum *Barbari*, pro voce communi adhibitum: est enim inter adjectivatum terminationum. In derivationem irrito conatu inquiri, nec illam ullo modo evictum iri, putamus: ita sententiae differunt. Tritissima quondam vox ea fuit in Graecia: suntque, qui censeant, eam linguae Grajorum innatam, et tamquam exprimendae rei propriam cognitamque, confitam ab his esse. pp) Contra

(oo) Vid. JO. BURCH. MENCKENII de charlataneria eruditorum declamationes edit. 1716 p. 151 seq. in not.

(pp) Et quid hic STRABO, graecus scriptor? Vocem κατ' ὄνοματοις αἱ exsistisse putat. En ipsius verba: οἵμαι τὸ βαρβαρόν κατ' αρχὰς ἐκπεριφῆται γένεσις κατ' ὄνοματοις αὐτέπι τὸν δυσ- εκφόρως καὶ σκληρῶς καὶ τραχέως λαλεύτων κ. τ. λ. Haec autem

tra alii ex lingua peregrina transumtam illam creditint; sed hoc iterum discrimine, ut alii totam ab Aegyptiis acceptam; qq) alii qua radicem vel Arabibus, rr) vel Syris, ss) vel Chaldaeis, tt) vel Hebraeis, uu) vel Germanis, xx) deberi, persuasum habeant. At non derivationem nosse, sed significatum usumque, hic sufficiet. Graeci igitur illi qua ratione atque significatione vocem adhibuerunt? initio quidem et generatim ita, ut quamdam soni asperitatem, seu insuavitatem oris ac vocis ea exprimerent, notarentque. yy) Speciatim tamen duplex significandi modus commemorandus est. Primum enim advenae et in Graecia peregrini, graeca minus perfecte et suaviter pronunciantes, barbari dicti sunt; deinceps paullatim omnes omnino gentes, lingua et natione a Graecis diversae. zz) Cur singulae? quia omnes atque singulae, non nisi crasse et difficulter, linguam expedire posse credeban-

autem onomatopoeia quid est aliud, quam nova nominis conformatio, ejusque ad rem significandam singulariter facta accommodatio? Addidit ille, barbaros esse dictos, quemadmodum blaesi balbique dicantur: addidit, ad confingenda cognata rebus nomina ingeniosos esse Graecos cert. Geograph. lib. XIII. Comp. versio lat. edit. amstelod. 1652 tom. II. p. 373.

(qq) Quia HERODOTUS lib. II dixit: Barbaros vero omnes vocant Aegypti τὰς μή σφι ομογένετας.

(rr) Vid. CHR. BECMANI orig. lingv. lat. p. m. 281, et JAC. BRUCKERI hist. crit. phil. tom. I. p. 46.

(ss) Conf. AUG. PFEIFFERI dubia vexata p. 943.

(tt) Vid. G. J. VOSSIUS de vitiis sermonis lib. I. c. I.

(uu) JEAN d' ESPAGNE Predigten p. 367. Vid & BECMAN. I. c.

(xx) Conf. J. F. REIMMANNI hist. litt. tom. II. p. 59 seqq. Calculum hic adjicerem, nec rationes deforet; sed auctoritati Strabonis fasces submittendae videntur.

(yy) A. PFEIFFERUS I. c. putat, intelligendam forte eam asperitatem, quam Germani dicunt das Schnarren. Quod vero nos diximus, adducta quoque Strabonis verba clare loquuntur.

(zz) Peregrinorum primi Cares barbari dicti sunt. Liquida et certa erunt omnia, si laudatus STRABO I. c. p. 373. seq. legatur.

debantur. A Grajis deinceps vocem accipientes Latini generaliter omne id, quod exterum, alienigenum, peregrinum, longinquum esset, barbarum dixerunt. a) In primis tamen receptum usitatumque erat, τὸ βάρβαρον orationi tribuere; tribuebatur autem, si inepta haec, vitiosa ac polluta esset. b) Sic hodieque manet, ut, quidquid in linguis non nativum, genuinum, purum, castumque; sed peregrinum, incompetens, impurum est, id partim soloecum, partim barbarum dicatur. Similis relativus nunc est terminus, ita ut barbarum sit respectu linguae latinae, quod illatinum; respectu germanicae, quod minus germanicum, vulgo unteutsch, et sic porro. c) Liquide autem ex nunc dictis constat, omne in sermone barbarum vitium denotare sermonis. Atque ex ista vocis acceptione possemus statim explicare lusum, quo dicunt: Es ist ein Argument in Barbaria. Neque enim inconveniens foret, ita vocare quodcumque argumentum, quod, veluti sermo incultus ac peregrinus, aures nostras animumque offendit: item, quod verbis parum aptis, saepius et prorsus ineptis proponitur. At alia tamen interpretatio restat.

## §. XX.

- (a) Tum personas, immo integras gentes, tum res Latinis modo barbaras dixerunt. CICERO ad Att. II. 7. auxilia Africorum auxilia *barbara* vocavit. PLAUTUS Trin. prol. v. 19. quam ex graeca latinam fecit fabulam, *barbare*, i. e. alia lingua versam dixit. ET HORATIUS carm. 2. 19, 17 mare barbarum pro indico.
- (b) Hinc CICERO quaest. acad. 39 *Amafanium et Rabirium barbaros*, sive incomitos scriptores dixit. Et de clar. orat. 258. c. 74: *Omnis tum fere, ait, qui nec extra hanc urbem vixerant, nec eos aliquaque barbaries domestica tufuscaverat, recte loquebantur.* Eadem tusec. II. 12. c. 4, et QVINCTILIANO saepius *barbare* loqui idem est, ac inquit, vitiose, contra grammaticam regulam loqui.
- (c) Bene vertit LUTHERUS Rom. I, 14. Ich bin ein Schuldner beyde der Griechen, und der Ungriechen.

*ibidem lib. i. cap. 1. s. XX.*

Nimirum vox *Barbari* a lingua ad ingenium quoque et mores traducta est. Quod quidem patebit, si paulo altius scrutinmur causam, cur omnes omnino gentes a se distinxerint Graeci, singulasque barbaras adpellaverint. Singularis fastus in causa fuit: ut erat ea natio ventosa et insolens. Neque tamen illi suae tantum linguae elegantia et suavitate ita capti erant inflati; sed adhuc magis turgebant cultis a se artibus et scientiis, studioque philosophiae, et morum disciplina. Se solos sapere, rectumque vitae cursum tenere, existimabant; reliquas gentes omnes volitare veluti umbras, et agere tamquam pecora campi. Barbaras itaque has vocabant, ut rudes, ut alienas a cultura ingenii, ut male moratas ferasque indicarent. Hinc graecis scriptoribus synonyma sunt *αραθης* et *βάρβαρος*, item *απαιδευτος*, et *βάρβαρος*: d) atque, si audiatur A. GELLIUS, quod Graeci *βάρβαρον* dixerunt, veteres Latini reddiderunt rusticitatem. Immo ipsi Latini, quum semel vocem graecam civitate donassent, quem rudem et indoctum; item quem incultum, agrestem, durum, atrocem voluerunt adpellare, eum saepius barbarum dixerunt, illique barbariem tribuerunt. e) Non est praetereundum hoc loco, quod primis ecclesiae christianaee temporibus philosophi pagani, vana sua inflati scientia, ipsam doctrinam et disciplinam Christianorum, tamquam barbarem, adspersi atque criminati sunt. Quare ecclesiae doctores necesse in primis duxerunt, contra illos euincere, semina veri rectique, quae olim Graeci suis

D terris

(d) Conf. omnino viri doct. CHR. AUG. HEUMANNI acta phil. vol. II.  
p. 220 seq.

(e) Ita quidem CICERO pro Mil. c. XI. it. de divin. l. 2. a gentibus doctis *barbaras* distinxit, et de nat. Deor. II. c. 34. de Scythis et Britannis, tamquam rudibus nationibus, loquens: *Quis, inquit, in illa barbarie dubitat, quine a spbaera sit perfecta ratione?* Errantis *barbariem* dicit Petronius 68. Quod ad mores, CICERO pro Marcell. c. III gentes *immanitatem barbaras*, et pro Mil. c. IX servos *agrestes*. et *barbaros* adpellat. Comp. et LAMB, BOS animadvers. ad script. quosd. lat. cap. II. p. 12.

terris colerent et foverent, non nisi ab iis, 'qui odii testandi caussa barbari appellati fuerint, accepta esse, hisque temere imputari ingenii barbariem. f) Satis superque jam adparet, non in solo sermone barbariem inquirendam esse; sed, quum veteres et Graeci, et Latini alias nationes barbaras nominaverint, hoc praeципua quadam ratione ad animum, hoc est, studia litterarum moresque relatum fuisse. g)

## §. XXI.

Obtinet autem termini, cuius significatio haec tenus evoluta est, et usus, et abusus. Abusus in eo est, si cum contumelia conjunctus sit. Quem quidem in modum veteres Graeci illum adhibuerunt, qui barbaros non dixerent, nisi per fastum, ut docuimus, et per convicium, atque dedecoris caussa, teste STRABONE. h) Usus locum habet, si meliori significatione voci juncta, ea ab omni ignominia se jungatur: isque usus triplex erit. Et primus quidem, si per barbaros tantum intelligendi sint, qui peregrinam aut si mavis, ignotam linguam loquuntur, ut βαρβαρος idem sit, qui ετερόγλωσσος. Certe hoc modo PAULUS, apostolus, dixit, se barbarum alteri, alterum sibi futurum esse, nisi de vi et significatu vocum constiterit. i) Alter usus est, quum nomen mere est discretivum et gentile, seu accommodatum tantum ad distinguendum gentes, aut diversae nationis homines. Quo sensu iterum

(f) Comp. JAC. BRUCKERI hist. crit. phil. tom. I. p. 47.

(g) CICERO in Verrem. IIII. c. 50 ita: Neque tam barbari lingua et natione illi, quam tu natura et moribus -- qui scelere barbaros viceris. Ubi nec obscure; nec inscite distinguit in barbariem linguae, nationis, et mentis, five morum. Ad illam origo vocis Barbari referenda; ad istam vox paullatim traducta; ad hanc omnino etiam significatio extensa est.

(h) loc. cit. Quare, inquit, illos barbaros, ἐν ἀρχαις μὲν κατὰ τὸ λοιδόρον, i. e. per convicium dixerunt -- deinde abusi sumus nomine cet.

(i) I. Corinth. XIII 11 v. II. Huc pertinet locus ille classicus OVIDII apud Getas exulis, trist. lib. V cl. 10. v. 37:

Barbarus hic ego sum, quia non intelligor ulli.

iterum sanctus Apostolus Graecis Barbaros recte debiteque opposuit. k) Tertius denique usus dicendus, si in plenaria quidem significacione sua adhibeas vocem; sed eo fine, ut scapham scapham adpelles. Quid enim impedit, quominus barbariem imputes illis, qui voces atque loquutiones, a quibus nativa indoles linguae, et cum puritate conjuncta elegantia abhorret, temere adsumunt. Praeterea, id quod maxime dolendum est, vere deprehenditur dicta olim et significata barbaries mentis, seque exferit tum in intellectu, quum studia litterarum ignorantur, aut mens illis minus excolitur; tum in voluntate, quae ab indecentia morumque asperitate non abhorret, quin omnia sequitur deteriora. Reete ergo liceteque barbari dicentur, qui eiusmodi barbariem fovent. Quare et superiora scholasticorum saecula, quibus omnia spissis ignorantiae atque errorum tenebris involuta, et mores perditissimi erant, saecula barbara nominantur. l) Sublato enim abusu, usus manere potest.

## §. XXII.

Neque jam improbandus erit usus formulae de *argumento in barbara*, si sensum ejus capias. Est autem facilis omnino ex

D 2

(k) ad Rom. I. v. 14.

(l) Addes pro lubitu usum quartum, quo licet sacerdotes papales Barbaros vocare, quum per singulare privilegium his liceat esse talibus. Sic enim in Distinct. 38 c. sedulo: *Non irrebunt scholastici, si aliquos antistites et ministros ecclesiae forte animadverterint eum barbaris et sacerdotis Deum invocare, vel eadem verba, quae prouinciant, non intelligere, perturbanteque distinguere cet. Ratio ad. ditur: Quia morum virtus magis, quam verborum sunt praecavenda.* Vid. AD. TRIBBECHOVIVS de doct. scholast. p. 211.

Prorsus singularis usus est in his:

Ripperda et Boneval nonne par nobile fr atrum?

Alter enim Turca est; Barbarus alter erit.

Quibus aliquot retro annis poeta quidam tangebat illum ex Christiano Turcam, ex praefecto militum Caesaris romani bassam turicum factum comitem de Bonneval; deinde et ducem de Ripperda, status administrum in Hispania, sed malae fidei, qui fuga in Africam elapsus, securitatis dignitatisque ergo, et ipse religionem Barbarorum amplectebatur.

haec tenus dictis explicatio. Primum enim intelligetur hic omne argumentum leve, inane, absurdum, a re alienum, nec rite procedens; quin potius, uti dicunt, peccans nunc in materia, nunc in forma, nunc in utraque. Quocumque in modo cujuscumque figurae syllogismorum tale argumentum formatum fuerit, certe conceptum formatumque erit in *barbara*, dummodo subaudias, mente. Deinde quoque dicimus eum Argumentum in *Barbara*, quod illiberale censemus, quodque rusticitatis, impudentiae et acerbitatis postulamus, in quo formando nulla ratione id, quod decet, observatur. m) In voluntate istud enascitur prave disposita, adeoque in *barbara*. Vides jam lusum in voce et aequivocationem: nec pluribus opus est, nisi forte unicum addendum. Quemadmodum enim dicitur: Es ist ein Argument in *Barbara*: ita facilis est formulae imitatio. Rectene, si quis ita argumentetur et disputet, ut, quid sibi velit, vel ipse nesciat, rectene, inquam, dixeris, es seyn Argumente, seu, man disputare in *celarent*? Rectene: Es seyn Argumente, man disputare in *darii*, si quis, argumento prolatu, vixque prima responsione accepta, se dederit, causamque deseruerit suam? Rectene: Es seyn Argumente in *ferio*, si res vehementer nimis agatur, aut, quod non nunquam accidisse constat, a verbis ad verbera veniat? Et sic porro.

### §. XXIII.

Succedat jam ultima formula, qua praedicant aliquem, quod sit *animal disputax*. Voces, praesertim et ultimae impuritatem, nondum curamus. In logicum vero censum quin ea loquutio irrepatur, nemini dubium erit, qui minus nescit, ideam boni malive disputatoris exhiberi in logica. Quaeres jam, ad quem illa conveniat: num ad unumquemque, qui disputando dat operam, aut

(m) Hujus furfuris erat argumentum, in quo sibi reperisse quidam purabat, non quod pueri in faba: Quic. est purus putus logicus, ille est cet. Atqui Dominus N. N. in sua logica cet. E. Verum et responsionem tulit hanc: Nihil est istuc argumento asininius, mittamus illud.

aut in ea jam arte Roscius existit? absit! est enim formula eavillans. Rite autem debiteque instituta disputatio quum non sit, nisi propugnatio veritatis, hanc qui contemnat, qui vituperet, eum ratio multum fugiat, oportet. Multaque etiam de viris, disputando claris, et insignem laudem promeritis, adferri hic possent, nisi paullatim filum scriptionis abrumpendum sit. n) At enimvero duplex est genus disputatorum, frivolae ac puerilis affectionis vitio laborantium, hinc et omnino dignorum, qui notentur. Sunt, qui ea tum animi praesentia, tum linguae promitidine gaudent, ut quacumque in re bene rationes expedire su-as possint. Immo habent hic nonnulli a natura, quod alii vix ac ne vix quidem per adsiduam exercitationem; et, si acceſſerit exercitatio, multo etiam magis habent, ut disputatores exſtant. Hi etſi non ſemper, quod ad rem facit, adferunt; tamen illis nunquam haeret aqua, ſemperque aliquid, quo alterum retundant, ſeſe defendant, respondere norunt, et, quod negat judicium, ingenium ſuppeditat, ne nihil dixiffe videantur. Verum ne iſti quidem censura adhuc digni ſunt.

## S. XXIII.

Duplex tamen occurrit vitium, quod ejusmodi disputatores vix ſolent evitare. Alii enim, dotibus freti ac superbientes suis, ut ſe ostentent, ad utrumque parati ſunt, ſive quis poſcat, ut rheiſin quamdam adfirmit propugnantque; ſive, ut, eadem negata, defendant oppofitam. Quod quidem quum ipſo facto praeftent: parum tamen laudis conſequi videntur, praefertim apud eos, qui vere ju dicant, nihil ſolidae gloriae in oſtentatione inelle, cujus gratia talia i nſtituuntur. Quodſi vero etiam, ut fit, pro rorū morem veterum illorum ſophistarum ſequuntur, ipsas ve ritates problematica iſta ratione traſtando, et in ſuper habendo: certe in eo quam maxime vituperandi ſunt. Satis igitur laudis eft,

(n) De ſolo RUDOLPHO AGRICOLA, quem virum ſupra pluribus laudavi, addere hic placet, facultatem diſputandi in eo egregiam fuiffe, et modum commendabilem. Hic certe ſcholasticam illam altercandi rabiem ſanatum ivit. Legatur cel. BRUCKERUS in vita ejus hist. crit. tom. IIII, part. I. p. 35 item p. 36 et 37.

est, quam ex horum g̃r̃e quisque meretur, ut uno ore praedident sapientiores, eum esse *animal disputax*, hoc est, non tam ab eloquentia, quam vaniloquentia disputatoria satis instructum. Et certe vano ingenio nugatoria lingua, linguaeque nugatrici vanum ingenium vagumque minime deest. De aliis vero, quibus tantum ingenii concessum est, quid dicendum? Saepius illos sensus veri et falsi deficit, neque, quum aberrant, vel ipsi hoc vident, vel ab aliis ostensum cupiunt. Alacres et prompti sunt, apti quoque ad excogitandum novas hypotheses, formandamque conclusiones: Quae sua cogitata atque inventa mirifice etiam contum ornantque. Tum vero illae hypotheses, praetexta cito posita, virilem sumunt veritatis togam, haud amplius hypotheses adnumerandae. Id alii si minus ferant, vicissim et illi hoc non ferunt: sunt enim in perspiciendis iis, quae contra motentur, levies et minus judiciosi; ad respondentium vero ingeniosissimi. Ego sic existimo, homines quidem judicio pollentes refutari posse; vix autem n̄itio praeditos ingenio: quamquam enim hi nunquam vincunt; tamen nunquam vincuntur, quia per ingenium suum semper inveniunt, quae regerant. Disputant igitur, non cedunt, contentiones ducunt, aciunt, donec disputasse refutantes pertaesum sit, qui aliis permittunt judicium. o) Quum autem isti disputatores bruta tantum ratione ingenii catulos, foetus volui dicere, ament, lambant, defendant: certe sapientissimi quique judicant, esse illos *animalia disputacia*.

## §. XXV.

Palmam tamen modo descriptis praeripere, et majori suo jure eo, quem significamus, titulo condecorandi videntur alii. Scilicet κατ' εξοχὴν *animal disputax* dicitur is, qui totus ducitur studio contradicendi, quemve

laqueo tenet ambitiosi

Consuetudo mali, tenet insanabile docte

Rixandi cacoëthes, et aegro in corde senescit; p)

Pto.

(o) Exempla odiosa, nec tantum prisca; sed nostra quoque aetate obvia,

(p) JUVENALIS sat. VII, 49, ubi quidem ille de cacoethe scribendi poëmata.

Profecto est genus hominum, finem disputationis, qui ad veritatem vel inquirendam, vel stabilendam directus est, neque ad tententium, neque intendentium: satis habent, si suo indulgeant faciantque satis ingenio. Non loquimur de iis, qui vel animi, vel exercitii causa, de quocumque disputant argumento, usumque disputandi, qui certe artificem facit, frequenter etiam repetunt. Sed sunt alii, quibus sola sua placent: hinc ea, quavis data, an dicam? anxie quaesita, atque adrepita occasione, propugnant acerrime. Contra rejiciunt aliena, et, quasi ad litigandum nati factique, et prava quoque consuetudine firmati, singulis insurgunt, ac ubique contrariam defendunt sententiam: idque non modo in rebus minimis, maximis; sed et summa animi contentione faciunt. Haud amicus Plato, haud Aristoteles, haud Wolfius, nec quisquam, in quocumque scientiarum genere, alias; sed vix magis amica veritas: Quid ergo? Iola amica alteratio. Molestissimi sunt isti homines aliis, nemini non, ipsisque etiam sui similibus invisi, et, quod majus est, plurimum saepe rixarum, quin graviorum motuum auctores. q) Quare etiam gravissima censura digni omnino sunt. Et certe, sapientes majores, ejus furfuris irrigatorem quemque notaturni, vix hominem eum putarunt, sed contemtim dixerunt animal: quale vero? disputax. Barbara vox placuit, r) quam ejusmodi animal vocale non sine barbarie, id est, imprudentiae impudentiaeque notis concipiendum judicarent. Et tale quidem est animal disputax. Apage illud!

## §. XXVI.

- (q) Docuere hoc olim exempla Scholasticorum, hodie aliorum. Habet et, quae hic pertinent, MORHOFIUS in polyhist. tom. I lib. I, cap. XV § 36 seq. Respiuit conversatio omnes, inquit, qui sunt contentiosi et disputaci ingenio - FICHTETUS inter arcana sua etiam hoc proponit: - molestissimi enim sunt odiosissimique mortalium, qui contradicunt semper, ut Aristoteles est effatus. Hanc in Petavio disputacitatem dannat Patinus - Campanellae cum theologo disputatio acrior omne malum arcessivit - Singulare hujus ferociae exemplum in Thoma Demstero fuit cet.
- (r) Talis enim est vox disputax, quamvis ad analogiam vocum dicax, loquax formata,

Adesto hic quoque finis commentandi. Occurrunt quidem formulae adhuc aliae: dicunt enim den und diesen, dis und das in ein Prädicament sezen, id est, uno ordine locove habere; sed facilis interpretatio ex iis, quae pentade prima §. XI. de praedicatione veterum adlata. Dicunt etiam: Etwas ad primum figuram reducire, i. e. rem perfectam, integrum, et planam sistere; sed nescio, annon aliquorum propria sit loquutio: quid? quod nec tanti est. Talis et est quaestio ea: Was hat er für eine Logik gelernt? seu quam tenet logicam? si quis scilicet meditationes alterius, et rationem tractandi velit improbare. Praeterea cendum est fastidium: quare nihil aequa consultum debitumque fuerit, quam, copia neglecta, modum adhibuisse.

## TANTUM!





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn822029022/phys\\_0037](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn822029022/phys_0037)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn822029022/phys\\_0038](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn822029022/phys_0038)

DFG





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn822029022/phys\\_0040](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn822029022/phys_0040)

DFG

## §.XXVI.

Adesto hic quoque finis commentandi. Occurrunt quidem nulae adhuc aliae: dicunt enim den und diesen, dis und das in Prädicament setzen, id est, uno ordine locove habere; sed fas interpretatio ex iis, quae pentade prima §. XI. de praedicantibus veterum adlata. Dicunt etiam: Etwas ad primum figuram uieren, i. e. rem perfectam, integrum, et planam sistere; sed scio, annon aliquorum propria sit loquutio: quid? quod nec ti est. Talis et est quaestio ea: Was hat er für eine Logik genet? seu quam tenet logicam? si quis scilicet meditationes alteris, et rationem tractandi velit improbare, cetera cavenim est fastidium: quare nihil aequa confundere, cumque fuerit, quam, copia neglecta, modum adhuc.

TANT

